

QR. 525, 2.

B. 1

Za  
1715

VANNVS CRITICA  
IN  
INANES PALEAS  
OPERISELEMENTARIS  
BASEDOVIANI



PROLVSIO  
DECLAMATIONIBVS V.

IN  
ILLVSTRI SCHOLA ELECTORALI  
GRIMANA

A. D. XIV. SEPTEMBR. HORA IX HABENDIS


PRAEMISSA

A

IOANNE TOBIA KREBSIO  
RECTORE

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



Lib. II. Antholog. 42.

Τυκνον ἀναίδεις ἀμαθέσατε, θρέμει μορίης,  
Εἰπέ τι βρενθύνῃ, μηδὲν ἐπιτάμειος.  
Ἐν μὲν Γραμματικῆς ὁ Πλατωνικός, ἂν δὲ Πλάτωνος  
Δόγματά τις ζητήῃ Γραμματικὸς αὐτὸ πάλιν.  
Ἐξ ἑτέρου φεύγει ἐπὶ θάτερον, ἕτε δὲ τέχνην  
Οἷσθα Γραμματικὴν, ἕτε Πλατωνικός εἶ.  
Πᾶντα μὲν, οἶδα, λέγεις, ἀτελής δ' ἐν πᾶσι ὑπάρχεις,  
Γενόμενος πάντων, ὃδὲν ἔχεις ἴδιον.

Vbi, si tanti putes, BASEDOWI, consule OBSOPONI adnotationem, in qua, veluti in speculo aliquo, imaginem tuam vivis coloribus expressam videbis. Nam inter alia habet haec: *Hoc Epigramma factum est in ardelionis, et vanos osentatores atque Thrasones, quo hominum genere nihil est odiosius, et detestabilius. Qui cum omnia se scire, et ad unguem nosse contendunt, omnium tamen rerum intuentur imperitissimi et non nisi iactatores vanissimi, et gloriarum plenissimi etc. Viden tu imaginem tuam?*



**S**apientia, quo quis est ab ingenii felicitate praestantior, a bonarum literarum copia instructor, et a nominis fama, honestis artibus parva, illustrior, eo modestius fere de se, doctrinaque sua sentire, scriptaque sua non sine verecundia, reipublicae literariae debita, in lucem, adspectumque eruditum emittere solet: debet profecto non vana suspicio lectoribus devili pretio earum scriptiuncularum suboriri, quarum auctores et veluti patres ipsi magnifici praecones et buccinatores sunt, hosque foetus suos, tanquam simii, misere et deperdite adamant, aliis, ineptis praestantiae laudibus ad nauseam usque venditant, et posteritatis, quin aeternitatis adeo memoriae iactabundi commendant. Huius rei suspicio mihi quidem nuper iniecta est, cum primum veluti aliud agendo perlustrabam illud variis sermonibus, iudiciisque iactatum *Opus Elementare* BASEDOVII, Viri, famae, late illius quidem sparsae, sed perquam ancipitis, et artibus, nescio quibus, comparatae. Vix vnam et item alteram paginam praefationis, huic diuino, si Diis placet! Operi pragmissae, et a MANGELSDORFFIO, fido BASEDOVII Achate, in linguam latinam, multis barbarici sordibus hinc inde commaculatam, translatae, percurrebam, cum tanta iactantiae specimina animaduertebam, ut obstupecerem, virum aliquem, qui doctum dici se, haberique velit, eo impudentiae, eo audaciae progredi potuisse, ut omnibus viris doctis, de re scholastica et olim immortaliter meritis, et nunc cum summa omnium in hac re in-

intelligentium iudicum laude merentibus, tanquam alter magniloquus Goliathus, insultaret, bonosque scholae magistros contumeliosa oratione, veluti nouus quidam *Aias uasryoΦéγos*, laceraret. Qua quidem impudenti audacia eam de se spem, expectationemque concitare se posse putauit, vt alii crederent, BASEDQVIVM vnum veluti de coelo esse missum, et diuino aliquo munere toti humano generi concessum ad rem scholasticam collapsam, ad interitumque vergentem erigendam et sustentandam. Tam impudenter, tanquam vnus aliquis medicus circumforaneus fasciculos suos medicamentorum noxiorum, inuulium certe, friuola sua et exsicca commenta, scriptaque sua, vere Volufiana, venditat, multisque verborum ampullis vane commendat! Scilicet hoc nouo Atlante opus erat ad rem scholasticam, ruinae suae proximam, suffulciendam! In quo quidem hominis impudentissimi (nam cur impudenti ori tuo parcam, Timagenes?) arroganciam non vno nomine cum iusta indignatione admirari fas est, quod et de educatione institutioneque aetatis cum puerilis, tum iuuenilis h. e. de arte quadam vsus indoeili, nec sine longo rerum vsu discenda, praeceptiunculas dare sustinuit, huius rei experientiam, non, nisi per multos annos, et multis, iisque variis ingeniis tractandis comparandam, nunquam assecutus; et religionis christianae, cuius initia tradenda in educatione iuuentutis familiam ducere debent, in hoc vasto Opere ne minimam quidem rationem habuit, et, si eius veluti in transitu, et quasi aliud agendo, meminerit, ita de ea sentit et loquitur, vt vnusquisque, qui non nares obefas habet, facile olfaciat, eum religionem christianam iuxta Mohametanam h. e. vtramque pariter nihili aestimare. Neque vero quis existimet, me iniuriam huic homini facere. Nam ipse in *Libro Methodico*, ipso quoque egregio opusculo, et munusculo, quo rempublicam hierariam beavit, aliquo loco fronte plane expudorata scribit: *totum Opus Elementare non solum ad instituendos liberos christianorum, cuiuscunque illi scholae sint, verum etiam ISRAELITARVM, et MAHOMEDANORVM sine ulla conscientiae offensione* (mentiris Cain!) *adhiberi poterit.* O tempora! O mores! Tale quid hominem, in coetu christianorum versantem, et, vti ipse aliquo loco mentitur, *christiana sacra sequentem*, effutire posse! Exemplum hoc ferendum non est. Non impune hoc tibi, nouelle iuuentutis instituendae, an-

COR-



corrumpendae magister dicam? abibit. Me quidem non pigebit, aliquot bonas horas, rebus vtilioribus impendendas, perdere hoc, vt huius *Operis Elementaris* tui non tam censuram agam, (hominis enim id esset, et ingenio et otio abundantis) quam strictim quaedam tangam eo consilio, vt alii de hoc infausto et abortiuo cerriti ingenii foetu tuo, qui eum non viderunt, vanis autem quorundam blaeforum sermonibus decepti nescio quid praeclari, et huc vsque nunquam traditi continere existimant, aliter de eo sentire incipiant, eumque immaturum, et irata Lucina effusum abortum, despiciendum abiiciendumque arbitrentur. Nam, vt in praefatione huius *Operis*, cedro sane dignissimi, cognoui, multis hominibus fortunatis, inque re lauta constitutis, qui has *BASEDOVI* nugas esse aliquid putarunt, tantam opinionem, persuasionemque de huius *Operis Elementaris* praestantia vanus auctor attulit, vt pecuniae vim ab iis emendicaret eam, quae summam *quindecim millium Imperialium* excederet. Scilicet hoc est pecuniam in loco perdere! Sed ne ianuam aedibus maiorem faciamus: age, rem ipsam aggrediamur, cuius nobis commodissimam oportunitatem praebet memoria diei Natalis Illustris Moldani nostri, ante hos *CCXXVI.* annos diuinis auspiciis aperti et constituti, et etiamnum laete efflorescentis, grato pioque animo publice celebranda. In qua solemnitate cum de more receptum sit, aliquid prolusionis orationibus habendis praemittere: operae pretium facturos nos esse putauimus, si quibusdam speciminibus ostenderemus, quid de hoc *Opere Elementari* indicandum, quod pretium ei sit ponendum, quidque tulerit dignum *BASEDOVI* tanto promissor hiatu. Nam hoc nemo expectet, nos totius huius vasti voluminis censuram acturos esse (res enim esset miserimi, et Herculei sane laboris, nec huius Prolusionis angustiae eum ambitum caperent;) sed non nisi quasdam eius particulas, veluti per transfennam spectandas, lectioribus proponemus, vt ex iis, tanquam ex aliquot corporis membris, de toto hoc ingenii *BASEDOVIANI* foetu, iniquis Musis, et irato Apolline excluso, iudicare possint. In qua quidem re rationem tenebimus hanc, vt primo specimina quaedam intolerabilis, et Thrafonicae instantiae, saepe cum contemptu et insultatione virorum, de re scholastica optime meritorum, coniunctae afferamus: quo facto ostendamus, quam seivne et contemptim hic homo de religione christiana, cuius

cuius in educanda iuuentute nullam plane rationem habet, sentiat et loquatur: denique de ipsa iuuentutis educandae, instituendaeque ratione, BASEDOVIANA breui exponamus. Quibus traditis facile apparebit, quam praeclare BASEDOVIVS hoc *Opere suo Elementari* de educatione iuuentutis, de re scholastica, imprimisque de religione christiana sit meritus. Tu vero, lector, adesto, et huic militi glorioso vapulanti faueto.

Iam primum, ipsum praefationis, huic Operi praemissae, initium quam plenum iactantiae est! cum ita exorditur: Si paedagogia, *sive iuuentutis educatio et institutio, prout ea nunc in scholis publicis, et in familiis priuatis dominatur, vitiis ingentibus laborat; si caremus adhuc instrumentis ad tollenda ea, vel emendanda; si opus elementare non indignum videtur, quod ad emendationem hanc adhibeatur, nec operis inscriptio mendacii manifesti coarguitur: (atqui facillime huius rei coargui potest) opus hoc omnino parentibus, scholarum magistris, et curatoribus, iisque, qui patriae, generisque humani salutem sospitam volunt, magni faciendum est.* En tibi, de praecepto PINDARI, *πρόσωπον τηλαυγές!* Hic mihi in ipso limine hominem, turgido inanique fastu inflatum, suarumque laudum buccinatorem [magniloquum, videor audire. Tuam fidem! lector: legistine vnquam, quemquam auctorum tam impudentem frontisque adeo praefrictae fuisse, vt se vnum tot hominum magistrum iactaret, et a suo libro *salutem patriae, quin generis humani* pendere tam disertis verbis effutiret? Quamquam enim aliquam modestiae speciem oratio eius, adiunctam habens conditionem, prae se ferre videtur: tamen peritis vsus loquendi satis notum est, eiusmodi orationem in omnibus fere linguis ita vsurpari, vt *certissime* aliquid esse \*) indicet, adeo vt BASEDOVIVS mutatis verbis nihil aliud dicere voluerit, quam hoc: *Quandoquidem iuuentutis educatio et institutio — multis vitiis laborat: quandoquidem a nemine huc vsque instrumenta ad ea tollenda vel emendanda inuenta sunt: quandoquidem hoc opus meum elementare dignissimum est, quod ad hanc emendationem adhibeatur: Opus hoc meum omnino —*  
magni

\*) Vid. Homer. *Ilad.*, l. v. 39, sqq. Aeneid, IX, 406. XII, 773. Conf. l. I, 115 sqq. *Odysse.*, l. v. 763, Virgil. BENTLEIVS ad Horat, Carm. I, 32,

magni faciendum est. Haec est Thraſonis nostri vox, haec mens. Ipsum autem parentem de hoc ingenii, doctrinaeque foetu suo, γνησιωτά-  
 τῳ τῆ πατρὸς παιδίῳ, tam magnifice sensisse et iudicasse: ex aliis hu-  
 ius praefationis locis luculentissime apparet, vbi semetipsum, veluti  
 forex, prodit. Sic v. c. p. 7. confidentissime scribit: *Lectorum*  
*approbationem expectare possum: p. 12. Ex Indice* (parte huius prae-  
 clari operis quinta, quam auctor minatur) *totius operis Elementaris*  
*utilitas quam CLARISSIME apparebit. Ibid. Prae reliquis vero*  
*doctrina de animo — et methodus Grammatices OPTIME sunt elabo-*  
*ratae. Nam in iis HABITO: p. 14. cum ii, quibus scripta mea pla-*  
*cuerunt* (mali gustus ii sint, necesse est) *epitomen huius philosophiae*  
*theoreticae, — ADEO probauerint, ut PERITIORES sciant, ne*  
*SVBTILISSIMA quaeque esse perſerutatum. Mox, veritatis notio*  
*dominatur in Opere elementari. P. 18. Opus elementare iuvenes, viros*  
*et senes NON SINE FRVCTV lectituros fore* (notes hic obiter, le-  
 ctor, duplicem elegantiam, duplex vitium Grammatices, in qua se  
 habitare paullo ante mentitus est, alterum in *lectituros fore*, alterum  
 in *lectituros pro lectituros*) *praesertim si index* (tutissimum ignaviae  
 perfugium et asylum) *sit adiectus, IPSA RES declarat. Lib. IV,*  
*p. 49. postquam vulgaria quaedam, et omnibus nota, ab omni autem*  
*subtiliore demonstrandi ratione abhorrentia, argumenta pro immor-*  
*talitate animorum attulerat, haec addit: PAUCI ex hominibus ita ad-*  
*huc institui fuerunt* (nempe vt ego vos institui) *vt ad hanc de immorta-*  
*litate animi scientiam peruenirent. Lib. X. p. 203. vbi, posteaquam*  
*de vsu Grammatices quaedam trita, et vel tironibus nota effuderat,*  
*Gloriosus miles noster, quasi prostrata ignorantia publica, ita ouans*  
*exclamat: O! quantum haecenus publici, privatiq; paedagogi ab illa*  
*praeslantia methodi naturalis* (nempe *Basedouianae*) *aberrarunt! quam-*  
*diu genus humanum hac ineluctabili MISERIA fuit oppressum! quous-*  
*que eam feremus? At non sine ingenti laetitia de felicitate posteritatis*  
*praeuideo* (enim vero tu, lufcus quippe in his rebus, nihil vides, ne-  
 dum quid praeuideas) *hanc rationem descendae linguae latinae natura-*  
*lem post annos viginti* (hoc credat tibi Francisculus ruus, aut Iudaeus  
 Apelia, non ego) *a divulgato OPERE ELEMMENTARI* (nam  
 opiniones praconceptae pertinaciter diuque haerent) *COMMUNI*  
*OMNIVM CONSENSV comprobatum et receptum iri. Quid non*  
 spe-

speramus amantes? Sed vanus vates es, BASEDOVI, et hoc dirum omen Apollo *ὄλεθρον* certissime auertet. Nondum satis nugarum et iactantiae est. Mox, ubi de *facundia*, et *lectione librorum*, latinorum nempe, in qua re yraque plane infans est, praecipere nescio quid ausus est: ita: *Patrem quemuis, matrem, paedagogum, et magistrum scholae cuncta, quae liber hic offert* (non multum sani offert, et quid boni Africa apportet?) *inconsultis aliis intelligere, vix equidem sperare possum.* Egregia vero dos libri dogmatici, parentibus, scholarum magistris, et curatoribus, usque, qui patriae, generisque humani salutem sospitatam volunt, scripti, quem non intelligunt: Haec sane *ἄπειρος ἄζει*. Sed audiamus reliqua. *Is vero paedagogis, qui locum suum rite iuentur, et quos posteris non defuturos existimo* (scilicet hoc Opere tuo Elementari in salutem generis humani in publicum protruso) *omnia erunt perspicua et FRUCTUOSA.* Sed ego tibi, BASEDOVI, bona fide confirmare possum, mihi, qui, profectus e disciplina IO. MATTH. GESNERI, et IO. AVG. ERNESTI, virorum, quorum similitum singula secula vix vnum et item alterum reipublicae literariae concedunt, de quorundam virorum doctorum iudicio locum *paedagogi* (vtar enim hoc vocabulo tuo, quamuis inepto) huc vsque rite tuitus sum, multa in hoc Opere tuo minus *perspicua*, nihil autem *fructuosum* fuisse. Talpa igitur coecior es, inquires. Sim! Tu autem quis? Non ipse dicam. Malo imaginem tuam ex hac Prolesione, veluti speculo aliquo, atque eo non fallaci, quam e pictura, nimis saepe mentiente, cognosci. Sed iuuat de *Coronide Operis totius*, quo Orbem literatum in salutem generis humani beauit, vel tria verba addere. Audiamus, qua modestia hic immanis eruditionis Cyclops de hoc foetu suo, quem, Lucina minus aequa ferente opem, enixus est, sentiat et loquatur. *Iam viam, inquit, hanc asperam, plenamque periculorum* (periculorum adeo?) *emensus sum. — Apparatum est, (tantum autem abest, vt sit confectum) instrumentum, quo educatio, institutio et res scholastica emendetur, quo posteris nobis et meliores, et tranquilliores fiant. — Posteris, cum OPVS MEVM NON STATIM INTERITVRVM SIT, (O! Corydon, Corydon, nimium ne crede color! Breui, mihi crede, hoc egregium Opus tuum, posteritati, et immortalitati adeo consecratum deferetur*



*in vicum, vendentem tus et odores,  
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.)*

opinor, *MIRABVNTVR*. Ego vero viuis adhuc iam miror, quomodo tandem tempus, rebus multo vtilioribus impendendum, conscribendo hoc opere, scripto vere Volusiano, quo nos omnes facillime carere poteramus, perdere poteris. Paulo post, veluti vates vanus, deque euentu futuro huius operis sui anxius et sollicitus, subiungit: *susceptionis bonae* (einer gütigen Aufnahme: notetur haec phrasıs: non semper occurrit.) *successum optatum sperare oportet*, (oportet vero? nempe si melius quid scripsisses.) *verum fas etiam est, si vota nostra pro SALVTE COMMVNI non statim rata fiant, animo praeparato conquiescere.* (quod vt quam primum facias, auctor tibi, suatorque sum.) Nam propter causas imperscrutabiles (hic vero imperscrutabilis causa nulla est, quippe quae vna in Opere tuo inutili lresidet) optimis consiliis et conatibus terminos vel inopinatos ponit, quos nullus transire valet mortalium.

Et hic finis est huius totius Operis Elementaris, quo nihil elaboratius, iactantiaeque Thraonicae plenius Orbis literatus neque vidit, neque forte vnquam videbit. Vnum doleo a te, BASEDOVI, in Coronide totius Operis tui, cedro dignissimi, omissum esse, quod merito fuisset apponendum. Assem igitur para: et ego tibi apponam:

*Exegi monumentum aere perennius,  
Regalique situ pyramidum altius.  
Quod non imber edax, non Aquilo impotens  
Possit diruere, innumerabilis  
Annorum series, et fuga temporum.  
NON OMNIS MORIAR: multaque pars mei  
Vitabit Libitinam &c.*

Ecquid mereri de te videor, qui inuidendis laudibus tuis, quas tibi consecutus videris, aliquid encomii addiderim? Ecquid gratiae a te iniisse videor, qui laudum tuarum non admirator solum, sed fautor etiam

etiam et auctor sim? Equidem credo, qui *simplicitatem* tuam (de qua in praef. p. 7.) e scriptis cognouerim tuis. Neque vero existimandum est, BASEDOVIUM hoc opus conscribillandum sine variae doctrinae apparatu suscepisse. Nam de hoc ipse, tanquam bonus sponsor, certos et securos nos esse iubet, cum in praef. ita: *Neque ego, si TANTO OPERI impari me censuissem, — vel suscipere, vel ita, ut feci, continuare potuissem.* Quoniam tamen bonus Vir nihilominus vereri viderur, ut omnes de hoc opere suo benigne iudicent: ipse eius patrocinium in se suscepit in praef. p. 6. qui locus etiam ob venustam latine scribendi rationem lectu est dignissimus. *Patronum operis agam,* (bene facis: cum quibus alius neque velit, neque possit) *sive iudicium PRAEVIUM instituum.* Auctoris enim iudicium, *PARI caeteroquin CIRCUMSTANTIA,* magis suspectum esse non potest, quam vnus e lectoribus, aut censoribus sententia. Nam ita comparata hodie hominum ingenia sunt, (et olim ita fuerunt,) *quisque ut aequae PRONVS sit, aliorum, qui secum rem vniam, eandemque tractant, dotibus et laboribus quid DETRAHERE, quam sibi, suisque operibus nimium TRIBVERE.* Ego vero aut vehementer fallor: aut tu, BASEDOVI, *pronus es,* tibi, scriptisque tuis *NIMIVM tribuere,* Vtar enim eleganti Operis tui latinitate. Audias te ipsum: et vti patronum huius Operis tui agere constituisti: ita et horum verborum tuorum (praef. p. 8.) sis iudex: *Educatio, quae tantum non vbiuis dominatur, constitutionibus, moribusque etiamnum nititur, qui regnante BARBARIE nati, et pro fine rei, nostroque tempore haud parum INSIPIDI sunt.* Potest autem (ad usum iuventutis, ad incunctitatem parentum, ad SALVTEM GENERIS HVMANI) decem annis, et propter imitationis vim, in maxima parte Europae quam certissime emendari, si quis alicubi cura prudenti et fideli in reformatione et in nouatione totius educationis, non dico in *SUPERFICIOSA* emendatione et exornatione tantum consumat, quantum ad alendos peditum trecentos nunc requiritur. — Qua de re per sex abhinc annos populum sollicitavi. (id populus scilicet curat!) Comperi quidem, instituta noua quotannis fundari. Nullum autem, quantum scio, ab indole scholarum et gymnasiarum veterum *MISERANDA* recedit. Quid tu, os impudens, de miseranda scholarum et Gymnasiarum indole garris? Quot enim scholarum et Gymnasiarum rationem, imprimis in Saxonia nostra

stra superiori, cognouisti? Profecto, nisi inuita Bona Mente natus esses; haec effutire non sustinuisses. Igitur nec consilia scriptaque de re scholastica emendanda illorum Duumvirorum, GESNERI et ERNESTI, ab hac miseranda indole recedunt? *Horum ego*, sic pergit, *institutorum in scriptis et studiis meis NVLLAM habeo rationem*, (quemadmodum et alii nullam vnquam rationem habebunt institutorum tuorum) *quoniam PERPARVM, aut NIHIL ad salutem aetatis nostrae potest us obtineri*. P. 11. praef. vbi exoptat non solum, sed sperat etiam, aliquod *seminarium elementare*, ad normam scilicet *huius Operis Elementaris*, institutum iri, ita: *Praesagit animus, seminarium elementare eccubi constitutum iri. BEATVM populum, qui primus hanc rem aggreditur*. (Me vero misereat illius populi, qui vel teruncium eiusmodi *seminario elementari*, e *Basfedouiana* imperitia, prudentia volebam dicere, constituendo, impendat. Hic enim nouellus rei scholasticae instaurator non, nisi fumum venditat.) *Fieri non potest, quin tandem aliquando cultura intellectus excruciationem memoriae, praeparatio ad negotia vitae doctrinam umbratilem, exercitationem in virtute*, (re, tibi, BASEDOVI, perquam amabili) *nugosas denique de praestantia eius praeceptiones, denique SANA et NATVRALIS discendae linguae latinae RATIO ABSVRDAM illam, quae nunc regnat, consuetudinem e paedagogia deturbent*. Quam sana autem et naturalis tua sit latinae linguae discendae ratio: docent illi tui XVII in Philantropino Alumni, qui latine loqui dicuntur ita, vt Epistolis obscurorum virorum palmam praeripere censeantur. Male igitur cum omnibus viris doctis, eleganter loquendi, et scribendi laudem consecutis, hucusque adum est, qui in iuuentute non sanam et naturalem h. e. *Basfedouianam*, sed *absurdam* discendae linguae latinae rationem sunt edocui. P. 17. *Nullum scribendi genus excogitari potest, cuius exempla bona (equidem in his exemplis bonis exempla bona quaevis) Opus elementare non habeat*. Interpretationes vero, quibus *MVLTVM* impendi, rerum et linguae causa scriptae sunt, nempe, vt paedagogus et discipulus res lingua vernacula iam cognitae sermone peregrino repetat. — *His tandem accuratius cogitatis, disquirere licet, num verum sit, iuuentutem ordinum moratiorum ad annum vsque quindecim in nullo doctrinae genere libro alio, quam opere elementari, ad institutionem indigere*. Haec omnia non nisi summo cum taedio e praeclaro

isto opere huc transtuli consilio hoc, ut quisque iudicare possit an non auctor noster ad *nimum* sibi, huicque operi suo tribuendum fuerit pronus. Innumera fere alia specimina iactantiae intolerabilis huius hominis ex hoc opere exhiberi possent: sed, uti me exscribendi has nugae fatietas: ita te, lector, eas legendi taedium haud dubie cepit. Igitur veniamus ad alia, non minus mirabilia. Nam BASEDOVIUS totus est caput mirabile: modo non capitale esset.

Et primo quidem magnopere mirari subiit, qui tandem BASEDOVIUM cupido incessere potuerit haec, ut de emendanda iuuentutis educandae et instituendae ratione, deque re scholastica, in meliorem conditionem redigenda, praecipere, librosque in eam rem scriptos in publicum effundere auderet, cum harum rerum usum, non nisi diuturno tempore, labore magno, prudentiaque non exigua comparandum, nullum consecutus, neque ab ingenio, doctrinaque ad hoc suscipiendum, feliciterque perficiendum sit instructus. Ego, qui adolescens, quod in summa felicitatis meae pono, doctores, in disciplina scholastica, et arte etiam iuuentutis rite formandae et instituendae Roscios, IO. MATTH. GESNERVM, τὸν ὄντι ἐν ἀρχαῖς, et IO. AVG. ERNESTIVM, cum annis, tum meritis vere venerabilem, nactus, et ultra triginta annos in plurimis, atque iis diuersis ingeniis tractandis versatus sum, maximamque vitae meae partem, non sine omni iuuentutis fructu, consumsi, nulla vnquam cupidine tangi me sensi, aliquid scribendi, in publicumque protrudendi, quod *rem scholasticam emendam* attingeret. Ipso enim rerum usu, atque eo diuturno probe cognoui, quantaе difficultatis sit, eiusmodi quid conari, et quantum prudentiae requiratur ad vitia quaedam, in hac omnium rerum humanarum conditione vix euitanda, quae forte hinc inde in scholis publicis animaduertas, emendanda et tollenda ita, ut non alia, atque ea non minora importes. Quod HORATIVVS de hominibus dicit, *vitius nemo sine nascitur*. *Optimus ille, Qui minimis urgetur*, id commode transtuleris ad scholas publicas, quarum optima habenda est, in qua minima vitia deprehenduntur. Equidem, *ubi in aliqua schola plurima nitent, non paucis offendar maculis*. Perfecto res difficilior est, quam quis eredit, qui eius rei nullum usum habet, *rem scholasticam* emendare, inque conditionem meliorem redigere velle, cum verendum sit, ne, vno et altero vitio et incommodo

modo tollendo, plura alia, atque ea maiora inferas. Et tamen ab aliquot inde annis morbus veluti epidemicus multos inuasit, qui, neque ab ingenio, doctrina, prudentiaque satis instructi, neque harum rerum vilo vsu vnquam edocti, tamen *de emendanda re scholastica* etiam aliquid scribere sustinuerunt. Sed credite mihi, o boni! facillimum esse in museo et otio inter fumum herbae Nicotianae efflandum, aut inter aliquot lagenulas villuli exhauriendas, consilia quaedam et instituta (*projets*) cogitando parere, partaque in publicum exponere, longe difficillimum autem, ea ad vsum ita adiungere et transferre posse, vt saluti publicae ea re consularur. Quotiescunque eiusmodi scriptiunculas, ab iis profectas, quibus rei scholasticae nulla notio, nulla vnquam fuit pericia, legi, toties menti meae occurrit, quod nuper mihi, hoc *Opus Elementare Basedouianum* percurrenti, memoria suggestit, nempe illud, quod CICERO (de Orat. II, 18.) de Annibale expulso, et cum aduersa fortuna confidante, in Syriaque apud Antiochum M. versante, refert. Hic enim cum PHORMIONEM, philosophum peripateticum, de imperatoris officio, et de omni re militari aliquot horas copiose, cum magna aliorum contiuarum voluptate et admiratione, disputantem audisset, interrogatus, quodnam suum de hoc philosopho iudicium esset; tulit hoc, vt diceret: *multos se delirasse senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio deliraret, vidisse neminem.* Neque mehercule iniuria, addit CICERO. *Quid enim arrogantius, aut loquacius etc.* Nosti enim, lector, caetera. Sed age, videamus, quid magnus ille nouellae sapientiae magister, et magniloquus rei scholasticae emendator praestiterit, quidquid tanto hiatu promissor tulerit dignum. Initium faciamus a religione. De ea enim deinceps dicere erat propositum.

Omnium, non Christianorum solum, sed aliorum etiam populorum sacrarum litterarum luce non collustratorum, qui quidem non plane ad barbariem, immanitatemque a natura abiecti fuerunt, opinio fuit, haec, quae et nunc animis omnium, qui non plane ab humanitatis cultu defecerunt, infixae haeret, vt vnanimi consensione contenderent, in educanda et instituenda iuuentute primum et grauissimum munus parentum, omniumque eorum, qui vices eorum sustineant, esse hoc, vt liberi tenera adhuc aetate, cum primum ad

aliquem rationis vsum peruenerint, initiis religionis imbuantur, imbutique huius rei saluberrimae, et ad veram felicitatem maxime necessariae, accuratori cognitione, veluti saluberrimo animi passu, indies magis, magisque alantur atque confirmantur. CICERO quidem, in ea religione natus et educatus, quae vana et coeca superstitio potius quam religio, nominanda est, huic religioni, non dubitat contendere, Reipublicae florem, amplitudinem, salutemque acceptam esse ferendam, his verbis, (Orat. de Arusp. Resp. c. 9.) *Romanos non calliditate et robore, sed pietate et religione omnes gentes, nationesque superasse.* Et PLATO (Lib. IV. de Rep. p. 427. Edit. Steph.) recte contendit, *fundamentum reipublicae esse religionem.* Cf. ARISTOTELES Lib. VII. Politic. c. 3. Ita illi de religione senserunt. Vix igitur verbis exprimere possum, quantopere obstupuerim, cum in hoc *Operi Elementari Basedoviano*, quod vanus auctor omnibus numeris perfectum exemplar iuuentutis educandae, instituendaeque esse vult, quodque in ipso christianorum coetu conscribillauit, nullam plane habitam esse rationem religionis, fideique christianae animaduertim, totamque eam rem, saluberrimam sane, maximeque necessariam ad pietatis, honestatisque sensus teneris adhuc animis instillandos, alto silentio transmissam. Bone Deus! quid tandem de educatione et institutione iuuentutis christianae fiet, si hanc BASEDOVII rationem et disciplinam sequamur? Ego quidem in instituendis disciplinae meae alumnis quiduis potius negligere velim, quam doctrinam de religione christiana, et de fidei christianae capitibus, quae sciam, huius impiae incuriae et negligentiae mihi aliquando in horrendo illo iudicio extremo grauissimam rationem esse reddendam. Et vnde plures, grauiiores, et ad persuadendum, commouendumque efficaciores rationes peti possunt, quarum vi iuuenilis aetas ad pietatem, honestatem, omneque omnino omnium virtutum et officiorum genus impelli debet, quam religione christiana? Deme hanc: deme eius cognitionem et sensum: et videbis, quam exiguam vim vel praestantissima et saluberrima praecepta; quam exiguam verba minacia, quam exiguam verbera adeo in plerisque iuuentutis animis sint habitura. Et tamen hoc BASEDOVIUS, (qui aliquo loco, nescio, quam vere, dicit, *se etiam christiana sacra sequi*) in hoc capitali Opere suo fecit, de sola quippe religione naturali ali-

quid

quid effudisse contentus, de religionis christianae autem doctrina parum sollicitus. Et huius detestandae incuriae et negligentiae illum hominem adeo non pudet, ut aliquo loco (Lib. IV. p. 196.) libere et impudenter scribat; *Hoc demonstrare constitueram in opere elementari, quae sit religio naturalis — Qua in re ita versatus sum, ut, OMISSA DIVINA REVELATIONE, sola rerum naturalium, suique contemplatione hanc doctrinam (de Deo eiusque cultu) homini non inertis propterea, et stupido gratam et acceptam, facere possit. — DEISTAE, IUDAEI, CHRISTIANI, et MAHOMEDANI (Tros, Rutulusve fuit!) in eo consentiant, — ea, quae vobis de religionis cultu tradidi, vera esse, et cum singulorum, tum OMNIVM OMNI NO salutem et felicitatem iuuare. Hic mihi Naturalistam aliquem audire videor, qui, omissa diuina reuelatione, sola rerum naturalium, suique contemplatione impie mentitur, se hac doctrina sua omnium omnino hominum salutem et felicitatem iuuare posse.*

*O tribus Anticyris caput insanabile nunquam!*

Tu, qui in ecclesia christiana natus es, in eorum, qui religionis christianae, literarumque diuinarum luce collustrati sunt, coetu versaris, ab iis, qui Christum eiusque sanctissimam doctrinam amplexi colunt et venerantur, tantam pecuniae vim emendicasti, eorumque munificentia aleris et sustentaris, tu, igitur, in ipso christianorum coetu talia effundere, et chartis adeo, aeternarum tenebrarum oblivione premendis, in publicum protrudere non erubescis? Quae tibi mens? quae tibi frons? In vniuersum BASEDOVIUS, quantum quidem ex hoc opere Elementari intellexerim, cum de religione christiana, tum de ecclesia nostra Lutherana ieiune et malitiose, videretur sentire. E speciminibus, iam exhibendis, ipse, lector, iudices: ne cupide magis, quam vere, de hoc homine iudicare videar. Et primo quidem de religione omni omnino ita disputat, ut dubitet, quae sit vera. Ita enim disertis verbis aliquo loco: *Si parentes, aut doctores ecclesiae sancti officio non desint, vera religio, QVAE CVNQVE EASIT, radices aget quam altissime.* Quibuscum verbis amice conspirant haec: *Constat, me christianum esse, (nomine nempe et simu-*  
lata

lata professione) quamvis peculiari ECCLESIAE non additum. Addamus in hanc rem alia. Tractat opus elementare disciplinas a Theologia ALIENAS, ideoque doctrina et probatione non CHRISTIANAM, sed NATURALEM religionem. — Absunt a meo opere religionis, quam parentes veram, et diuinitus manifestatam CREDUNT, institutio &c. Alio loco, ubi de fide in Deum agit, ita: Grauis est haec fides, adeo, ut, etiamsi de ea SVRDVBITETIS, vitam tamen vestram regere debeat. Sub initium Lib. IV. negat, pueris e scriptura sacra doceri posse, Deum esse. Innumeri sunt, inquit, qui, Deum esse, probent auctoritate diuini verbi, cuius vim et veritatem expendere non LICET: et haud ita multo post: de REVELATIONE DIVINA nondum vobiscum colloqui LICET. Quando igitur? Et tamen iisdem pueris suis eodem loco proponit demonstrationem de unitate Dei ratiunculis contortis adeo implicitam, metaphysicisque tenebris adeo obductam, ut vir doctus etiam, et in eiusmodi rebus exercitatus vix vel diuinando assequi possit, quid sibi subtile istud ingenium Basedouianum velit. Hanc scilicet subtilem BASEDOVII, qui subtilissima quaeque perferatur, demonstrationem unitatis Dei angustiae mentis puerilis capere possunt: quae autem pro eadem e reuelatione diuina afferri solent, ea difficiliora sunt, quam pro huius aetatis intelligentia. Iam, quomodo de cultu diuino, et precibus sentiat et praecipiat: operae pretium est cognoscere: Is demum, inquit, cultus numini supremo placet, quo homo homini prodest. (Implete igitur BASEDOVII marsupium aureis numis: et Deum colitis.) — Precari nos dicimus, si toto animo Deum quasi recipimus (hic Fanaticum garrere mihi videor) eumque verborum formulis alloquimur. Nunc demum, lector, didicisti, in quo et cultus diuinus, et rite precandi ratio cernatur. Bone Deus, quantum huic nouo disciplinae christianaee auctori debemus! Aequè mirificus est in definiendo. Nescis, quid sit virtus: BASEDOVIUS te docebit. Virtutem dico cogitationum, votorum, vultus et actionum convenientiam cum utilitate communi. Nihil legi subtilius! Lib. eod. IV. p. 71. sq. derestanda sane eiusdem disputatiuncula est de aeternitate poenarum, de qua re ita disputat, ut et ipse aeternitatem poenarum neget, et aliis hanc sententiam pestiferam persuadere studeat suam. Toto animo cohorrui, cum haec in libro alicuius hominis, qui christianum se pro-



profitetur, legebam. Locus totus amplior est, quam qui huc transferri possit. Rei grauitas autem exigit, vt vnum, et item alterum, speciminis loco, exhibeamus. Quibus, sceleratis, inquit, *si aeternas poenas persuaferis: nihilo magis proficies, quam si non aeternas eas tradideris. Immo, palam experientia edocet, eos — qui Deum credunt aeterna supplicia sceleratis proposuisse, virtutem NIHILO ALACRIVS sequi et amplecti, quam eos, qui Deum poenis his finem constituisse existimant. — Eadem doctrina de sempiternitate poenarum innumeris aliis PERNICIOSA est, quippe qui, dum non esse aeternas poenas per RATIONEM intellexerunt, (haec igitur iudex esse debet in hac re grauissima) neque alia argumenta parata habent, nisi quae pro sempiternitate poenarum harum afferri solent, (igitur argumenta e scripturae sacrae locis luculentissimis petita non satis graua sunt?) tandem DVBITARE incipiant, sint olim poenae aliquae futurae, nec ne? Accedunt argumenta alia. Nempe nos, et qui familia nostra censentur, (Sententias loquitur — nec, quid sit, familia sua censei, coniectando assequi possum) nunquam a poenis diuinis in altera vita prorsus tuti sumus. (Haec est vox malae, et sceleratae conscientiae) Optimus quicumque (quisque debebat dici) semper in aliquo periculo versatur, ne in altera vita poenam luat. (Haec tibi Sathanas, mendacii pater suggessit.) Quam rem, nullo modo inficiandam (ain' tu?) qui non denegat, — is suam, suorumque vitam, simulac ratio aderit timendae poenae futurae leuissima, iure EXSECRABITVR (Exsecranda verba!) Qui vero poenas olim sempiternas, sine sui DETESTATIONE credit, (haec quid sibi velint, hebetior sum, quam qui videre possim) is aut non cogitauerit toto animo periculum inde exurgens (quam venuste) aut ab omni peccato esse, vel fore se immunem autumet necesse est &c. Et in Libro, pestifero sane, inscripto, Vermächnisse für Gewissen, in quo omnem religionem christianam, diuinitatem scripturae sacrae, diuinitatem Christi, et alia doctrinae christianae capita grauissima impugnare, penitusque tollere impio conatu studet, recte eo nomine, sed nimis leniter castigatus a C. G. ANTONIO; V. C. aperte, et non sine detestanda audacia aeternitatem poenarum infernalium negat. Nos quidem, religione christiana, scripturaeque sacrae magistra melius edocui, atque ex ea de aeternitate poenarum infernalium, probe scimus, qua ratio*

ne nos contra metum earum, periculumque munire possimus et de-  
beamus. Sed tam misere coecutire, et in hunc labyrinthum incide-  
re solent, qui de rebus grauissimis, e sola scriptura sacra certissime  
cognoscendis, relicta ea, soli rationi humanae, in his rebus coecae,  
confisi, disputare audent. Et quam egregia est haec, educandae,  
instituendaeque iuuentutis, ratio *Bafedouiana*, quae pueros, et ado-  
lescentes de grauissimis doctrinae christianae capitibus, in scriptura  
sacra diserte traditis, mature dubitare docet, eosque sensim, sensim-  
que eo perducit, vt in tanta inprimis religionis contempione, hac  
aetate nostra in dies magis, magisque inualecente, alia etiam sacro-  
sanctae religionis nostrae capita, totamque omnino religionem chri-  
stianam in dubitationem vocent, et postea palam, impudenter et im-  
pie negare, atque impugnare adeo sustineant? Nunquam enim ma-  
lum, vbi coepit, consistit, sed latius serpit, viresque eundo acqui-  
rit. Et ad talis magistri, iratis Musis nati, institutionem, discipli-  
namque pueri, adolescentesque in posterum educari et formari debent?  
Procul auertat hoc malum Deus a finibus nostris et certissime auertet.

Vidisti lector, quam impudenter, quam impie hic cerritus iu-  
uentutis magister de sacrosancta religione nostra sentiat et loquatur.  
Ecce tibi etiam quaedam specimina impudentis, et malitiosa dicaci-  
tatis *Bafedouianae*. Eo loco, vbi de solemnibus iureiurando, in  
Libros nostros praestando, loquitur (Lib. VII. p. 93.) *In quibus-  
dam regnis, inquit, vbi sacra Lutheri vigent, nullus ad munera ciuilia  
admittitur, qui non ante iurauerit, velle se cuncta fidei receptae ca-  
pita credere, diuulgare, saltem non impugnare, quae in libris copio-  
se atque erudite scriptis, reperiuntur. SCIT tamen MAGISTRA-  
TVS, illum libros hos, in quos iurat, nec legisse vnquam, nec forte  
lecturum. Verum sine iureiurando illo minus IDONEVS, atque  
INDIGNVS habetur, qui munia leuissima administret, qui publica-  
nus (portitor debebas dicere: nam publicani apud nos nulli sunt) sit,  
logographus, geometra; aut, disciplinae alius doctor publicus. Haec  
quo animo dixerit, neminem tam hebetis ingenii esse putem, quin  
intelligat. Et quam inepte dicax est in perstringendis ritibus sacris,  
qui in Ecclesia nostra obrinent? Lib. VII. p. 211. Sacerdos confes-  
sori, inquit, peccata Dei nomine condonat, capitique manum imponit.*

Is

Is vero manum *CLAVDIT*. Nam nummum *CONFSSIONALEM* tenet, quem accepta peccatorum *CONDONATIONE* tradet. Qui si elaberetur: elapsus tinnitum indecorum ederet. Et haud multo post de *exorcismo* in baptizandi ritu apud nos quoque recepto, quam dicaciter, quam scurriliter loquitur? *Lanius*, inquit, *pater huius infantis* (quem vtrumque in tabula aliqua depictum, vna cum baptizandi ritu expressum, *BASEDOVIUS* puerulis suis digito extenso monstrat) *statuebat idem* (nempe *exorcismum* non esse omittendum) qui cura nimia, ne, praetermisso *exorcismo*, *infans* careret, re, *NE SCIO QVA*, rationis usum proculdubio amiserat. Videtis eum in hac tabula occurrentem, securim occultam tunica gerit, non sine terrore totius multitudinis, caput sacerdotis percussurum minatur, si conetur *EXORCSMI* verba praetermittere. Quae mox de *Sacra coena*, quam in pestifero illo libro suo (*Wermächtnisse für Gewissen*) non nisi laetum quoddam fratrum conuiuium (*Eine bloße brüderliche Freudenmahlzeit*) impie et habet, et nominat, garrit, produnt animum maliciosum dicaculum maximeque impium. In altera quadra, inquit, cernitis, quomodo dent *Lutherani*, qui sunt *Lipsiae*, *coenam sacram*, quam *eucharistiam* dicunt. Ad sinistram sunt, qui *coena* hac frui velint. Accipiunt ii, secundum doctrinam *Lutheranorum* (nunc etiam secundum doctrinam *Scripturae Sacrae*) libis *farinae* corpus *Christi*, ad latus alterum autem vino *Christi sanguinem*. Ad sunt pueri, qui *mappulam* tenent. Aedituus illic, ne *TVMVLTVATI* quid fiat, conuiuas singulos pro gradu dignitatis ad *coenam* verbis, aut nutu vocat. Hoc pro labore, dignitatisque diiudicatione conuiuae discedentes *NVMVLVM* ipsi donant (huic numulo tu ipse inhiare videris; o si tu aedituus ille, *Lipsiensis* esses!) quem inter *coenandum MANV* tenent, aut ita saltem in *MARSVPPIO* custodiunt, ut statim ad manus sit. Pauperes vero, qui nihil *DIGNITATIS* habent, nihil dant. Miraberis haud dubie, lector, vnum aliquem hominem, in coetu christianorum versantem, ab iisque tantam pecuniae vim emendicantem, de religione christiana, deque ecclesiae nostrae *Lutheranae* ritibus vel saluberrimis, vel *adversariis* tam malitiose, tam inique, tam dicaciter, quin impie adeo sentire, et impudenter loqui posse. Sed desines mirari, si cognoueris, hunc hominem, qui *sacra christiana sequi se* aliquo loco mentitur, esse *Arianum*,

num, quod adeo non dissimulat, vt potius non sine pudenda iactantia quadam prae se ferat. Nam, cum aliquando in colloquium cum Venerabili quodam Viro venisset, hicque libere ei dixisset: *Tu Socinianismi suspectus es. Ego vero, regerit, Arianus sum.* Egregia vero laus; Egregius Vir! dignus sane, cuius doctrinae, fidei, disciplinaeque iuuentutem teneram adhuc et integram educandam, instituendamque committas!

Restat, vt de ipsa iuuentutis educandae, instigandaeque ratione BASEDOVII, quam (Lib. I. p. 6.) *se ex ingenio suo OPTIMAM tradere dicit*, videamus, a qua *genus humanam*, in cuius salutem hoc opus compositum esse impudenter mentitur, eo perfectius quid expectare poterat, quo arrogantius se ipse *reformatorem*, et *innouatorem totius educationis* in praefatione iactat, et quo iniquius et malignius loquitur de recepta. *Educatio*, inquit; *quae tantum non vbius dominatur, constitutionibus, moribusque etiamnum vitur, qui regnante BARBARIE nati, haud parum insipidi sunt.* Heus tu! bone BASEDOVI, cum ingressurus eras, hanc tuam iuuentutis optime educandae disciplinam tradere, debuisses relictis omnibus *magistros scholarum, et paedagogos*, quorum vel imbecillitati, vel imperitiae, vel peruerfitati in docendo hoc aureo opere tuo consulere voluisti, verbis Antonii apud CICERONEM (de Orat. II, 7.) ita alloqui: *Audite vero, audite! Docebo vos, quod ipse non didici.* Sed inter te, et Antonium intercederet hoc, vt, quod ille simulate et iocose dixerit, id tu vere, et liquida mente dicere potuisses. Sed age, paucis speciminibus exhibendis cognoscamus, quod praestiterit hic immanis doctrinae Cyclops. Scilicet, quemadmodum QVINCTILIANVS Oratorem ab incunabulis format suum: ita BASEDOVIUS institutionem suam ab infante adhuc lactente orditur, disciplinaeque suae alumnum a quinto inde anno ad latine loquendi facultatem comparandam fingit. Quam praeclare, et cum quanta ingenii subtilitate id fecerit; paulo post dicendi locus erit. In doctrina (Lib. I. p. 11.) de *Nominibus, de signis ad usum vis sensualis et iudicii adhibendis* (haec enim est inscriptio huius cap.) inter alia haec: *Offerte pueris v. c. pileum, calceum, muccinium album atque ouum. Dicite tum: ecce! niger est pileus; ecce! niger est calceus; ecce! album est muccinium; album est ouum, Dum vero verbum, ecce! enunciat; digitum ab*  
oculo

oculo vestro ad ipsam rem promouete. Hoc sit videndi signum. Nunquam digitum vestrum prope pueri oculos ad rem demittite, ita tamen, vt ea non nunquam pueri aspectui subtrahatur. — Centies circiter (quidni milles circiter) dum verbum est enunciatis, attollite digitum ad mediam frontem. Hoc signum est iudicii. (Quid tandem est digitis demonstrare, si non hoc est?) P. 12. Auditus signum sit digitus (qui? auricularis an medius?) ab aure ad eam regionem promotus, vnde sonus oritur. Primo quidem addatur semper verbum: ausculta; — Dicitur tum: ausculta! hoc fonat: ausculta! hoc tinnit: ausculta! hoc stridet: ausculta! hoc crepitat: ausculta! hoc susurrat &c. Exempli loco addere debebas, BASEDOVI, ausculta! hoc est non tam nugulas agere, quam delirare, vt illi infantes tui mature discerent, quid inter sapere et desipere interfit. Mox, Post enunciatum verbum, hoc vel illud, detur signum iudicii. Et huius generis nugis innumeris, non sine risu et cachinno excipiendis, multas paginas mundae charitae commaculauit. Et tamen de hoc puerili εὐρηματι suo hic miles gloriosus ita triumphat, vt haud ita multo post magna cum iactantia et vanitate scribat: Hanc SAPIENTEM SANE rationem — si sequimini: non spero, sed confido, pueros vestros, puellasque quinquentes naturam animi, coniunctionem eius cum diuerso ab eo corpore, verumque utriusque discrimen rectius, et maiori sui sensu, atque certitudine cognituros esse, quam plerique in ludis literariis doctores umbratici. RATA esse atque fortunata Deus iubeat, aliorumque in VERAM posteritatis FELICITATEM vota atque operam! Sequantur alii hanc tuam, BASEDOVI, sapientem rationem: ego, per XXX. annos doctior umbraticus, vt tu, alter Apion, περιεργότατος Γραμματικῶν, πλειστονικῆς, περιεργολωμῆς, Cymbalum mundi, et quibus aliis nominibus magnificis molles auriculæ tuæ demulceri gestiant, vt tu, inquam me, conditionisque meae homines vocare soles, nunquam eam in instituenda iuuentute sequar. Et sane, si ipse in pueritia ab aliquo magistro ad hanc sapientem tuam rationem institutus fuisset: pro animi mei vi ignea, huius disciplinae impatiens, eiusmodi ineptum magistellum in Morboniam abire iussissem, et omnem amorem literarum discendarum per omnem vitam abiecissem. Longe alia, sed ingenio meo, conuenientiore, ratione in discendis literarum initiis mecum actum est, et ita mecum actum esse etiam-

etiamnum laetor, magistrisque meis eo nomine, ingenue fateor, me multum debere. Et hac ipsa magistrorum meorum ratione instituendi per hos XXX. annos vsus sum, quae etsi non BASEDOVIANA, h. e. *sapiens*, tamen iuuentuti scholasticae fuit fructuosa. Neque nunc, ea me esse vsus, poenitet, cum e disciplina mea non pauci sint profecti, qui nunc iuuentutem magna cum laude docent. Totius fere Libri I. *Basedouiani*, in quo de institutione infantitiae et pueritiae multa, *pro more suo*, garrit, perlegendi fastidium deuorauit, ita vt saepe mecum dicere cogerer: *λῆγοι, λῆγοι δότε μοι λεκάνην*. Sed bona fide confirmare possum, quae hic nouellus sapientiae magister de hac aetatura instituenda tradat, ea tam difficilia, taediique ita plena esse, vt omnes parentes, scholarumque vel infimarum magistrorum, ab hac instituendi ratione, auocare et deterere debeant. Nam hac ratione infantes singularum literarum notitiam, pronunciationemque docere velle; res esset immensi laboris, non sine cari temporis iactura, non sine taedio, nec sine multorum numerum impendio suscipiendi. Libellum vix vnus, vel duarum plugarum, e quo literarum formae disci possunt, (*Abecedarium* vulgo dictum) confici BASEDOVIUS vult eiusmodi, qui non nisi vno *Imperiali* veneat. Ego autem, vti sexcenti alii, literarum formas puer probe didici ex eiusmodi libello vix vnus assis: et tu huius generis libello comparando non nisi vnum *Imperialem* impendi cupis? Scilicet multi parentum sunt, qui huic rei id pecuniae impendere possint. Iam, quam nouum, quamque mirum artificium *Basedouianum* acumen inuenerit, literas singulas in syllabas et totas voces cogendi, (*buchstabiren* nos dicimus) age videamus. *Spectatum admisi risum teneatis amici! Sonus*, inquit, *quem nostra literarum nomina produnt, haud parum conuenit cum ipso sono syllabarum et verborum.* Sic v. c. e sono, qui *inest* nostris *literarum nominibus* *sehe*, o, le, la, quibus *constat verbum* *schola*, *facilius oriri videtur sonus verbi*, *schola*, quam e sono *literarum* es, ze. ha, o, et a. *Praeterea id quoque tenendum est*, *lusu syllabarum Franciscum* (miseret me sane *Francisculi* tui, qui hac taediosa literas et syllabas pronuntiandi ratione tam misere excruciatu sit) *comparasse sibi incredibile* (ain' tu? *incredibile adeo?*) *facultatem diuisum sonum* (*nominum scilicet, quibus appellantur literae*) *cum simplicii syllabarum sono coniungendi.* Non dubium mihi est, quin Lector

Hoc haec paullo subtiliora et reconditiora vna mecum sit admiraturus. Est enim nouum artificium, et quodammodo *εὐρημα θεῖον*. Sed plane mirificus, et ad stuporem vsque ingeniosus est in Capite *de variis lusibus, ludendis cum iuuentute. Lubenter, inquit, iocamur cum primae aetatulae infantibus.* (Ioceri licet cum iis, cum nihil ferii agere velis, aut possis: modo non chartas Volusianas in posterum in publicum prorudas) *At plus utilitatis ex his iocis capere iis licet, quam VVLGO capiunt. Qua re id fiat, ut discant matres (igitur et bonae matres tuae disciplinae committendae sunt?) perlegant primum caput partis sextae relationum quas edidi, quadrimestrium, lectumque ad usus suos transferant. FRVCTV profecto non carebit haec opera.* Et quinam fructus ille erit? Audite, bonae mulierculae: discatis: vos vel vno exemplo, vnde cognoscetis omnia, id docebo. *Cur non, inquit, dum mammas porrigitis infantulo, eodem semper vocis tenore dicitis: mamma, mamma! et dum fugere infans incipit: lac, lac! aut, dulce, dulce! aut, gusta, gusta!* Haec; multaue alia, ab hoc subtili Philosopho, qui *subtilissima quaeque perstrutatur*, effusa *νεγών ζῆσι*. Nondum nugarum satis est? inquis Lector. Nondum. *Obdura te, et patiens (nam patientia opus est, atque ea maiori, quam mariti vel maxime lenti) cognosce, quae de lusu bantuli, de lusu vaccae coecae (Bünzelsuh) de lusu Ollae, et scribarum ocoecatorum, de duabus vesicis boariis, aliisque ingeniose excogitatis lusibus tradit, quos ad instituendam iuuentutem perquam vtilis, fructuososque mentieur.* Expectas forte, Lector, a me horum lusuum descriptionem? Frustra expectas. Nam haec sunt *μυστηριώδη*, atque adeo non efferenda. Igitur *εὐσομα κεισθω*. Eme tibi librum ipsum h. e. perde vnum aliquem numum aureum: nec emisse poenitebit. Videbis enim, vix histrionem aut agyrtam suauioremi tibi risum commouere posse. Hic sane BASEDOVIVM, cum pueris ludentem, vere reperuascere, h. e. puerillia, et nugulas agentem deprehendes.

Et haec fere sunt, quibus in instituenda tenella aetate vti vult magistram. Addamus igitur, quae adhiberi vult in instituenda aetate paullo adultiore. In quam rem quaedam seligamus, strictimque tangamus e Lib. X. p. 151 sqq. vbi tradit praecepta Grammatices et styli.

styli. Nam in hac re, uti in praef. dicit, HABITAT. Sed, ut ego quidem cognoui, non diu ibi habitavit, sed veluti *μεταβάτης* quidam, mox ad alia transiluerit, necesse est. Nam in Grammatices disciplina subtilem philosophum, qui *subtilissima quaeque perscrutatur*, ut supra iactantem audivimus, Grammatices autem valde imperitum, vel tironem potius sese esse ostendit. Quam magnificum est et huius disciplinae tradendae initium! Audite, quaeso, et Grammaticum, ad stuporem vsque doctum, agnoscetis. *Omne, quod eloquimur, infit, (sed heus tu! bone Vir, elocutioni in Rhetorica, non in Grammatica locus est) aut scribimus, propositionibus aut iudiciis continetur, quae verbis aut signis exprimimus — Quinimo vocabularia nil, nisi propositiones, habent, v. c. synedrus et assessor idem significant. Pluit, propositionem notat: pluvia — nunc cadit. Propositionem enuntiat etiam, si quid rogas v. c. quis adest? id est, scire volo, quis adest. Latet etiam in voto et iussu propositio, v. c. abi, id est, volo abeas. Bone Deus! quantum est sapere, si non hoc est. Quot, quantaque, et quam veneranda Grammatices mysteria hic reclusa patent, ab omni omnium Grammaticorum acumine ante *Basedouianum* acumen remota! Audi, *BASEDOVI*, tibi aliquid in aurem dicam. Sed rogo, ne efferas. (Nam tu mihi plenus rimarum esse, et hinc inde perpluere videris.) Sed audi. Quodsi *P. BYRMANNVS*, flagellum illud *Logicastrorum*, qui subtilitatem Logicam suam arti Grammatices et Critices inepte obrudere volunt, ab inferis excitatus rediret, quam misere et duriter tecum ageret? Peius te, crede mihi, exciperet, quam *IO. CLERICVM*, subtilem illum Logicum, ad quem tu infans es, excepit. Sed immorabimur adhuc paullulum huic loco, cuius amoenitas nos retinet. Pergit, si displicentiam cogitas, non solum, quod displicet, sed etiam aliquem, cui id displicet, cogitatione complecteris. Si donationem, (v. c. XV. millium Imperialium, ad hoc praeclarum ingenii, doctrinaeque, monumentum condendum, posteritatisque memoriae commendandum hinc illinc emendicatorum) cogitas: praesumis (quam eleganter!) donatorem (donatorem vero? quam venuste!) porro rem, quae donatur: tandem personam acceptitricem, (et hoc perquam dignum est latinitate *Basedouiana* h. e. barbara.) Scilicet! hoc est, quod in praefationis suae limine vanus auctor iactat, *subuenire in coniungenda rerum doctrina cum necessario linguarum studio*. Parum ab-*



absum, quin meis olim doctoribus, GESNERO ET ERNESTIO, irascar (si tam caris capitibus irasci fas esset) eo nomine, quod me Grammatices, latinaeque linguae rationem hac Logica subtilitate non docuerunt. Sed eo tempore nondum extiterat BASEDOVIANVS Grammaticus, VOSSIIS igitur, SANCTIIS ET PERIZONIIS contenti esse debebant.

Sed iuuat, nunc etiam huius Grammaticastri, iniquo Apolline, iratisque Musis nati, nouellam sapientiam in aliis tradendis Grammatices praecipis cognoscere. *Verba, inquit, primum genus vocabulorum lexicalium* (lexicalium? quid hoc verbi? Concurrite omnes haruspices et augures, concurrite, et hoc monstrum atque portentum procurate!) *constituunt: altero Nomina continentur. Nomen quoduis autem vocabulorum FAMILIAM comprehendit, quae quidem eundem habent significatum FVNDAMENTALEM,* (tunc hoc intelligis lector?) *varias vero terminationes, siue calus — Sic nomen, pater, subiectum est in propositione pater liberos suos amat: res obiecta est in propositione: patrem meum aduenientem video: et correlatum in hoc: obuiam eamus patri. Adiectivae descriptionis instar vocabulum est, pater: est in propositione: patris soror desponsata est etc. Quae huc vsque attulimus, praenotiones tantum Grammatices, ut Auctor vocat, attingunt: quibus traditis, in adnotatione adiecta addit haec, profundae sapientiae plenissima, quae, nimis liberalis sum, quam ut tibi, lector, inuideam. Audi igitur, sed attente audi doctorem Magistrum nostrum. Iam vides, ad Grammaticam, (rem tibi BASEDOVI, ignotam) me properare. OBTESTOR* (scilicet rei dignitas hoc postulat!) *iterum quemuis, qui paruis bene cupit, ne quid ex hoc, atque priore capite iuuentuti proponatis* (ea enim scilicet! sunt altioris indaginis, doctrinaeque reconditioris) *priusquam aetas iuuenilis, et una cum ea ratio, multum iam succreuerit, et discipulus linguam eam, cuius grammaticam docturus es, aequae calleat, ac MERCATOR sermonem vernaculum. Peculiarem, dico, Grammatices institutionem ante suscipiendam non esse. Iam, ubi de ipsa Grammaticae linguae latinae imperite exponere instituit, in praef. ad paedagogos* (inepta vox! nam apud nos *pedissequi* s. *Laquais*, qui ditiorum liberos comitari solent, *paedagogi Veteribus dicti, Grammaticam non*

D docent)

docent) ita: *Eos tantum ad hoc caput admissos volo (igitur ἐκείνους, ἐκείνους βέλτεροι) qui linguam latinam perinde, ac MERCATOR LIPSIENSIS vernaculam callent, (Atqui ego multos mercatores Lipsienses cognoui, qui linguam vernaculam aequè minus, ac tu, BASEDOVI latinam callerent.) qui latine dicunt et scribunt (vt tu, praestantissime disciplinae Grammatices magister) neque Grammaticam aliquam, neque Vocabularium hactenus viderunt. — Accuratori linguae cognitione (quam BASEDOVIUS habet) opus non habet, nisi qui velit olim in Academiis literas latinas publice docere. Nam alii aut publice non dicunt, et scribunt, aut, si facultate dicendi non polleant, scripta sua Rectori scholae, vel Professorei perspicienda et emendanda tradant. Quodsi autem in vita communi dicendum, scribendumque quid habeant, et in eo haud saepius PECCENT, quam SACERDOTVM (his non magnopere videris fauere) dimidius numerus in orationibus suis sacris: cur eos propter haec vitia LEVIORA ad dupondios statim abire iubeamus? praesertim cum ii, si RATIONE MEA (tua vero? quam celeriter latinitas barbara reditura esset!) instituti et exercitati (s. legendum corrupti) sunt, etiamsi LEVIORA vitia committant, quantum ad usum necessarium requiritur, in legendo, dicendo et scribendo magis SUI sint (quid hoc rei est, in scribendo sui esse?) quam plerique Criticasteri, syllabarum Censores, et Phrasum Conquistores anxii (igitur tu BASEDOVI, etiam faceris es? tu? qui es ἰαλέμει ψυχρότερος) quorum elegantiae MISERAE et EMENDICATAE (vt tu XV millia Imperialium emendicasti) in scriptis scholasticis prostant. — In fine de recto usu capitis huius insuper adficiam. Bene facies! Nam praeter te, nemo, cui sanum est sinciput, vel hario-lando assequatur, cui bono chartam mundam hoc capite commacularis. Age autem, videamus, quibusdam speciminibus exhibitis, quem usum praestat hoc caput, omnisque omnino institutio Grammatices Basedouiana. Multi Grammatici anxie laborarunt in definiendis, et sub vnam veluti classem redigendis Nominibus 3 Declinae in Genitiv, Plur. *um*, quae *ium* habeant. Sed temere laborarunt, nec quidquam viderunt. Omnem istam rem paullo impeditiorem philosophicum BASEDOVII acumen facillime tribus verbis extricat, *Nomina multa*, inquires, *tertia Declinationis in Genitio Plurali habent ium pro um*. Nunc demum scis, quae *um*, quae *ium* habeant.*

habeant. In tradenda ratione, qua *Genus Substantiuorum* a pueris etiam cognosci possit, plene mirificus artifex est. *Genus Substantiuorum*, inquit, *usus docebit*. Quot autem sunt, quos *usus* id docebit? te certe, BASEDOVI, non docuit, quippe qui, vti ipse prae te ferre soles, a viginti inde annis nihil latinorum auctorum veterum legeris. Pergit male sedulus Grammaticaster. *Cui regulae placent* (tuae quidem, crede mihi, nemini placebunt) *Is teneat has* etc. Quo facto, subiungit regulas tam mancas, mutilas et imperfectas, vt ne tiro quidem in hoc genere magis ieiunus et macilentus inueniri possit, v. c. *Nomina primae et quintae Declinationis OMNIA foeminina sunt*. Igitur ex hac regula tua *Philanthropinistis* tuis recte dicere licet: *Doct̃or noster Seraphicus, BASEDOVIUS, est mala Poeta*: item *hac aestate Etesiae calidae fuerunt*: nec non, multae *dies praeteriere, e quo BASEDOVIUS nihil sani scripsit*. Et quidni hoc iis, sine omni Grammaticae vitio, dicere liceat? cum e tua disciplina Grammatica Nomina OMNIA I. et V. Declinat. foeminina sint. Nam quod addis, *Dies tamen etiam Masculine usurpatur*: id nude et simpliciter dictum nauci est, et tironem in errorem ducit. Iam, in tradendo recto vsu Pronom. *sui, sibi, se*, et *illius, illorum* etc. in quo iuuenes saepe labi solent, quam obscurus est, quam incertus ipse in ea re fluctuatur! De qua re ita praecipit: *Si sermo est de persona eadem, quae propositionis totius subiectum est, aut persona primaria: pro casibus Pronominis ille, illa, illud, ponuntur sui, sibi, se*. — Nonnunquam ponitur ipsius, ipsorum. Fecisti probe: Multo indoctior sum, quam antea. Aliud acuminis sui etiam grammatici specimen exhibet subtilis philosophaster in tradenda regula, e qua Verba metuendi *vt*, aut *ne* sequi debeant, cum ita praecipit: *Vt negat, si propositio negans est res obiecta timoris*: Sin autem propositio affirmans res obiecta sit, *ne* affirmat. Folia Sibyllae! En cor Zenodoti, en iecur Crateris! Quanto simplicior, et ad intelligendum facilius aliorum est regula haec: *Post verba timendi vt negativae significat, ne affirmatiuae*. Iam, quam obscurus est in hac regula tradenda: *Res obiectae affectibus aliis, qui voluntatis efficacitatem non indicant, quod coniunguntur*. E. g. *Gaudeo, doleo, miror, quod tam diu hostibus resistitis*. Igitur ex hac regula tua dicere non licet, *Miror BASEDOVIUM Grammaticae imperitum, tamen huius disciplinae praecepta dare*

dare sustinuisse. Mox, ubi de constructione Accusatiui cum Infinitiuo praecipit, rem exprimit ita: *Tales autem propositiones coniunctae, quae res obiectae sunt talibus affectibus, Coniunctionem interdum amittunt.* Haec profecto Carminibus Satorum obscuriora sunt, et ego quidem mihi videor audire vnum aliquem HERACLITVM ΣΧΟΛΕΣΤΕΝ, aut DVNSIVM SCOTVM. Vide, mi BASEDOVI, quam tibi desit praecipua et maxima in docendo virtus, *perspicuitatem* puta, cum ipse definiaris, in qua cernatur: *Perspicuam dictionem*, aliquo loco inquis, *vocant, quam lector, vel auditor, ad quem loqueris, facile intelligit, quae INVITO TE nihil ambigui habet.* Sed tibi sanctissime confirmare possum, Regulas tuas Grammaticas, tantum non omnes; INVITO ME multum ambigui habere. Sed audet etiam BASEDOVIUS, homo nullius in scribendo elegantiae, de *dictionibus elegantioribus* praecipere, ubi inter alia et haec: *Rariores Constructiones cum Pronominibus* qui, quae, quod, *eiusmodi sunt: Verbum, quam statuo, vestra est.* Est locus, quod Tullianum vocant. Qui in legendis Graecis, Latinisque Auctoribus legendis paullo diligentius versatus est, is non multum raritatis in his inueniet, et quod alterum illud, *Est carcer quod Tullianum vocant*, attinet, recte, et ex more optimorum scriptorum est dictum, quod te BASEDOVI, inter alios, multis exemplis congestis docere potest CORTIVS ad Sallust. de B. C. c. 55. Sed non contentus haec egregia Grammaticae praecepta tradidisse, de numero etiam oratorio, aures implente, pro liberalitate sua nobis aliquid impertit. *Latini, inquit, prae reliquis student periodum verbo numerofo claudere, allato in eam rem hoc etiam exemplo, quod audiatis, qui aures elegantes et teretes habebis: Hac in re praeter illum, qui mihi opem ferat, novi NEMINEM.* Hoc scilicet est *Periodum verbo numerofo claudere*, si Dactylo, aurem, velocius Euro, praeteruolante, finias.

Confecto hoc Opere Grammatico, docet, quomodo ad VSVM sit transferendum. *In vsu Grammaticae huius Latinae, inquit, hanc rationem sequere. Si discipulus multa iam Latine intelligit, loquitur et scribit (si hoc potest, macilenta Grammatica tua nunquam opus habebit) ei praecepta Grammatica, quae praecedunt Syntaxi proponere licet, (Licet autem? Igitur liberum etiam est, velis id facere, nec ne.*

ne. Cui bono igitur hanc Grammaticam tuam macilentam scripsisti, si hoc non necessarium est? ) *Haec autem saepius iteranda sunt* (nempe ob insignem praestantiam et nouitatem.) *Nihil autem more seruili, suo SCHOLASTICO* (quid ais, os impudens?) *verbo tenuis ediscendum est.* Scilicet, ne praecipuas quidem Regulas Grammaticas, quamuis necessarias ad intelligendum, et scribendum, hic nouellus Grammaticaster ediscendas esse Dictatorio imperio pronunciat. Neque id mirum, cum in eodem praeclaro Grammatices opere suo ne uocabula quidem edisci uelit, *ne scilicet memoriae vis iudicii vim debilitet, sensumque penitus frangat*, ut aliquo loco acute obseruat. Quid igitur uult fieri? Audies. *Plagular*, inquit, *quatuor, sex, octo et CELLARI* libro memoriali paedagogus praelegat, (nempe discipulo suo, qui iam multa latine intelligit, loquitur et scribit) *ita, ut totus liber ter, vel pluries successu temporis pertractetur.* Sed per Francisculum illum tuum te, BASEDOVI, rogo, an ita *εὐδής* sis, ut credas, posse aliquem ingenii etiam non obtusi puerum sibi copiam uocabulorum latinorum, ad intelligendum, loquendum et scribendum maxime necessariam comparare, si iubinde *quatuor, sex, octo plagulas* a Paedagogo praelegi audiat? Et quid tandem atinet, puero, qui iam *multa latine intelligit, loquitur et scribit*, tot plagulas praelegi, cum tuus quidem discipulus, ad nouellam disciplinam tuam institutus, iam *innumera uocabula in memoria*, ueluti in promo condo, recondita habeat necesse sit? Tu ipse aliquo loco exercitationem memoriae, uocabulis et regulis ediscendis perquam sapienter *caruiscinam* uocas, ualde abhorrens a iudicio QVINCTIBIANI (quem utinam legisses: certe tacuisses) qui (Lib. XI. 2.) ita pronunciat: *Omnis disciplina memoria constat.* Et tamen hic homo hac nouella institutione sua Grammatica, quamquam non aliis, sibi tamen ipsi mirifice placeat. *Haec institutio grammaticalis, inquit, viz unum SEMESTRE postulat, si QVOTIDIE HORAS QVATVOR DVNTAXAT tradenda praecipulis Grammatices impendas.* Igitur *quatuor duntaxat horas* his sterilibus Grammatices (iuuentuti heu! nimis amarae) praecipuinculis excruciaci, eiusque ingenia obreri, et fastidium omnium bonarum literarum capere eam iubes? Nam, quod ego, per multos annos ipso rerum usu edoculus, cognoui, non facilius iuuentus a bonis literis absterretur, quam nimia, raediique plena,

Grammatices disciplina, eiusque Regulis sterilibus, spinosisque saepe praeceptiunculis tradendis, saepe etiam verborum tonitru, verberumque pondere a plagoso aliquo Orbilio inculcari solitis: qua quidem re efficitur, *ut*, quod QVINCTILIANVS verissime dicit, *pueri literas prius odisse incipiant, quam cognouerint*. Quodsi hoc disciplinae meae Alumnis iniungerem, Quotidie duntaxat quatuor horas sterilia Grammatices praecepta discenda, aut sex, octo plagulas e CELLARIO quotidie iis praelegendas esse: ad hanc vocem toto corpore corhorrescerent, docenti Grammaticam auribus pandulantibus, horramque anxie expectantibus assiderent, et ex hac schola Electorali, veluti aues implumes e nidulo, in Academiam volarent. Quanta carnificina! *quotidie quatuor duntaxat horas macilentis Grammatices Regulis excruciar*. Et tamen hic Grammaticaster noster, his miserabilibus Grammatices praeceptiunculis datis, veluti re felicissima gesta, ouans, triumphansque sub finem huius Operis sui, in Phidiae officina elaborati, ita exclamat: *O! quantum habemus publici, priuati que paedagogi ab illa PRAESTANTIA METHODI NATURALIS aberrarunt! quamdiu GENVS HVMANVM hac ineluctabili MISERIA fuit oppressum! Quousque eam feremus? Audin tu illum magnum Goliathum insolenter, impudenterque omnibus scholarum magistris insultantem? Quousque te, Βενησεδάμω, feremus? Sed mirari profecto subit, BASEDOVIVM velle pueros tot horas quotidie in Grammatices latinae praeceptis, veluti in pistrino aliquo, exerceri et macerari, qui *absonum* putat, aliquem scribere aliquid latine. Nam difertis verbis aliquo loco ita: *Nisi causa peculiaris adfit: ABSONVM existimo, lingua peregrina, vel emortua* (atque adeo latina) *quid scribere*. Quare igitur tu, BASEDOVI, per Mangelsdorffum tuum hunc vastae molis librum tuum in latinam linguam saepe perquam miserabiliter transferendum curasti? Peculiaris causa, inquis, adfuit. Audio. Nempe *communis generis humani salus*: quamquam sunt, forte mali homines, qui suspicentur, veram et vnam causam fuisse *auri sacram famem*, inhonestamque cupidinem, fortunatos aere emungendi. Quod me attinet, nihil definio. Aequae improbat hic Vir, alta quadam, et diuina mente praeditus, *orationes publicas in scholis publicis haberi*. *Orationes publicas haberi, inquit, admodum improbo*. — *hae nihil prosunt, quam ad perdendum tempus.**

pus. Vae igitur vobis! scholarum magistris, qui studeris, iuuentem orationibus publicis habendis contineri. Nam sapientia BASEDOVII hoc admodum improbat: et, quoniam Philosophi est, rationem reddere, eam et addidit, quia nihil profunt, quam ad perdendum tempus. En tibi mirabile caput, et philosophicum, et grammaticum! Sed hic videor mihi vnum et item alterum lectorum ita in aurem infusurare: *Obe! ineptiarum satis est: desine tandem, nec nos diutius obtundas et eneces.* Audiam: si vnum tantum addidero. Scilicet eo loco, ubi Grammaticaster noster de ordine verborum, e more Latino collocandorum, ieiune aliquid, praecipere audet, Latinorum ordinem magis naturalem esse pronunciat, quam Germanorum, aut Gallorum. Quod quale sit, vel hoc vno exemplo cognosces. *Ordo latinorum*, inquit, panem praebe mihi, *multo magis cum sensu naturali congruit, quam Germanorum, aut Gallorum, qui dicunt: praebe mihi panem.* Sentin' tu, lector, venustatem in latinis? Equidem hic, ad omnem venustatis sensum durior, obrusior sum, quam qui quid sentiam. Quam egregium venustatis gustum nobis BASEDOVIUS tradit? cuius Philosophi ingenium subtile vel ad minima sese demittit. Quidni etiam *Aesthetica* aliqua Orbem literatum beas BASEDOVI, qui in hoc *Opere Elementari* nouum aliquem, nescio quem, librum nobis minatus sis, sed non, nisi post X. annos, more Elephantorum, enitendum: quas minas tuas aequiores Musae, et Apollo *ελεξηνος* vanas, irritasque esse iubeant, sincerissime precamur.

Cum autem hoc Opus tuum Elementare scriptum sit ad iuuentem instituendam: liceat mihi ex te, BASEDOVI, quaerere, quare non aequae graecae linguae praecepta dederis, ac latinae? *Quia*, inquires, *graecam linguam non intelligo, in eaque plane infans sum.* Credo tibi, non iurato. Nam huius ignorantiae puerilis et pudendae illustrissima documenta dedisti in interpretatione, suae potius malitiosa et impia deprauatione multorum N. T. locorum in detestando isto libro tuo, *Vermächtnisse für Gewissen*, cuius rei vel vnum adduxisse sufficiat. Illa Matthaei 25, 41. reddidit: *So werden diese in die äonische Pein gehen, die Gerechten aber in das äonische Leben.* Tuam fidem! Lector, vnquamne legitti, hominem aliquem,

quem, qui humane et cogitat, et loquitur, tam insulse e graeca lingua aliquid transulisse? Quare autem tu, cum literarum graecarum ignarissimus sis, tam audax esse potuisti, ut de instituenda iuuentute praeciperes, cum vna omnium, et contentiens vere eruditorum vox sit, neminem ad accuratam eruditionem sine literarum graecarum cognitione adspirare, neque viri docti nomen sine lectione auctorum Graecorum, qui omnis sapientiae humanae, prudentiaeque civilis magistri habentur, iure obtinere, tuerique posse? Sed hanc de graecarum literarum discendarum necessitate praeceptionem *Basedouianae* doctrinae angustiae non capiunt. Praefat igitur, de hac re tacere, quam multa verba perdere. Illud autem facere non possumus, quid sub finem addamus. Scilicet *BASEDOVIUS* cum de noua disciplina sua velit pueros docere, quomodo, sine vilius Grammatices vsu, latine loqui discant, et hinc inde iactiter, se hac nouella ratione (*Methode* dicunt, quod vocabulum aetate nostra haud temere in contemptum fere abiit) effecisse, ut multi latine loquendi facultatem, sine vilo Grammatices vsu, consequerentur, cuius rei specimina luculentissima spectatione publica in celebrato illo *Philanthropino* nuper instituta ab aliquo ludi magistro in pago *NEVVIDA*, prope quadragenario, edita esse impente laetatur: age speciminibus quibusdam, ex hoc *Opere Elementari* hinc inde collectis, ostendamus quae ista sit latinitas, quae in illo *Philanthropino* docetur, et quam pure et eleganter magistri, iniqua mercedula quadam (nam malignitas *Basedouiana* non magnam dare dicitur) in illo conducti, loquantur, cum *MANGELSDORFFIUS*, interpret latinus huius Operis Elementaris, quem audiui plus latine scire, quam *BASEDOVIUS* vnquam didicerit, aut disciturus sit, saepe tam *barbare*, et contra Regulas Grammatices tam vitiose scribat, ut; si in illustri Moldano nostro III. Classis Alumnus tale quid commiserit, vix effugiturus sit, quin horum vitiorum contra linguae puritatem, Regulasque Grammatices poenam *subtrahit cibo et potu* luat. Haecum deliciarum silulam aliquam congestam, tanquam fercula in mensis secundis, apponere iuvat. Ipse nempe *MANGELSDORFFIUS* in praefatione, ab ipsius ingenio profecta, contendit, oportere pueros mature adueferi latine loquendo, et prius, quam Grammatices elementa Regulasque perlegerint, idque fieri posse, duobus *IO. MATTH. GESNERI* liberis

con-



confirmat. Sed heus tu! bone Vir, et hic meminisse illud πολυθρύλλητον debebas. *Quod licet Joui, non licet* — Nosti caetera. Iam, quam puram latinam pueri ab his magistris, barbarici reducendae perquam idoneis, discituri sint, exemplo huius ipsius magistri, interpretis latini huius *Operis Elementaris*, cognoscamus. Cuius rei faciamus tres veluti classes, quarum *prima* contineat voces *barbaras*, nec, nisi apud malos Latinitatis Auctores inveniendas, aut longe alio, quam apud probatos scriptores, significato usurpatis; *altera*, vitia, contra notissimas Grammaticas Regulas commissa. *Tertia* denique *integras loquendi formulas*, a puritate et consuetudine bonorum Auctorum abhorrentes.

I) *Ars paedagogiana. Excruciatio. Laboriositas. Signum ad dicatum et abdicatum. Ordo classicus. Scribere literas legibiles. Subsequentia. Genus dicendi argumentosum. Dictionum commensuratio. Rerum scientiae.* Sed apud auctores probae latinitatis non nisi vna scientia est. II) *Pronus est detrahere. Ad preces instituendas nimis imperiti estis. Lectituros fore. Fore cognituros.* In quibus duplex est vitium Grammaticum. *Quam primum pro cum primum. Certi et persuasi de iis fierent. Quamvis procreamur. Eo profecit pro tantum* Multi sunt, qui *ignorant, pro ignorent. Est, qui te conuentum vult, pro velit.* III) *Bonam aestimationem sibi conciliare. Prae caute, ne infantes iudicent, quid de vobis dediscendum sit. Per intenta in se muccinia agitur. Animum in pias cogitationes inducere. Desinit animus exturbari. Ad preces diuergere. Sine detestatione sui credere &c.*

Hos flosculos, quorum innumeri alii sunt, et amoenitate, et diuersitate perquam amabiles, ex hoc *Basedouiano* Opere colligere placuit, ut elegantes huius rei iudices cognoscant, quam miserabilis, et quae Latinitas semibarbara, cui pueri mature aduersant, in *Philanthropino* obtineat, et quantopere verendum sit, ne barbaries, ante haec tria fere secula depulsa, BASEDOVIO Antesignano, fidesque eius sequacibus, infantis aibus redux pestifera contagione sua multos rados corrumpat.

Caeterum, qui me, moresque meos norunt, facile mihi fidem habebunt, si confirmo, me haec omnia non eo consilio scripsisse, vt BASEDOVIUM, quem nunquam vidi, neque adeo scio, ater, albusve sit (*nigrum* autem esse audiui,) vt eum, igitur, explodendum, aliisque deridendum propinarem, famaeque illius, siue solidae, siue vanae ruinis meam veluti superstruere vellem; sed hoc, vt et alii ex his speciminibus istud iactatum *Opus Elementare* cognoscant, neque titulo huius libri, multum minante, sed multum fallente, imponi sibi patiantur, atque adeo credant, eximii quid, et huc vsque a nemine inuenti et traditi contineri. Nam vti in vniuersum huius Viri ratio iuuentutis educandae et instituendae fastidii plena, multisque difficultatibus implicita est: ita bona fide confirmare possum, me nihil in hoc magnae molis libro inuenisse, quod non dudum in multis aliis libris melius, dilucidius et accuratius traditum inueniatur. Hoc cum dicimus; non ita intellectum volumus, quasi hinc inde hic liber non aliquid boni contineat; hoc neque in oratione nostra ponimus, neque in cuiusquam suspicione relinqui volumus. Nam, vt ille Historiae Naturalis Conditor ait, *nullus liber tam malus est, vt non aliqua ex parte profsit*. Sed hoc nobis volumus, quidquid boni in hoc libro hinc inde occurrat, id in multis aliis iam dudum plenius, accuratiusque traditum esse. adeo vt BASEDOVIUS hoc labore supersedere, Respublica literaria autem eius *Opere Elementari* facillime carere potuisset.

Sed nunc ad rem praesentem veniendum, et quo consilio ad hoc, quidquid Prolusionis est, scribendum accesserimus, est indicandum. Interim BASEDOVIUS has sibi strenas habeto!

Scilicet producendi sunt V. Iuuenes, et ab honestatis gratia, et diligentiae laude perquam commendabiles, qui in memoria diei Illustris Moldani nostri Natalis pie recolenda qualiscunque facultatis suae in dicendo specimina edent. Ecce tibi eorum nomina, non quo sedent, sed quo ordine ad dicendum procedent. Dicit igitur

I) IO-

## I.) IOHANNES CAROLVS GOTTLOB WITTICHIVS

Kirchhano - Lufatus.

*De doctrina, a pietate sciuntia, societati humanae perquam noxia.*

## II.) IOANNES GOTTLIEB KNACKFYSIVS

Radeberga - Misnicus.

*De literarum humaniorum studio, necessario ad Theologiam rite discendam adiumento.*

## III.) IOANNES FREDERICVS GVNTHERVS

Beyernumburgo - Mansfeldensis.

*De prudenti, honestaque iuuentutis educatione, magno Reipublicae bono.*

## IV.) CHRISTIANVS FREDERICVS HIMMLERVS

Beerwalda - Misnicus.

*De neglecta iuuentutis educatione, magno Reipublicae malo.*

## V.) CHRISTIANVS GOTTLOB CAROLVS OELSELIVS

Lubenaui - Lufatus.

*De vita scholastica, magna cum laude peracta, laeto fortunae futurae augurio.*

Ad quas orationes audiendas vt a. d. XIV. Septembr. ipso die Scholae nostrae Natali, hora IX. Sacris finitis in Auditorio nostro maiori frequentes conueniant, qui bonis literis, nostroque adeo Moldano fauent, humanissime et officiosissime rogamus. P. P. in Illustri Moldano Ipsis Calend. Septembr. A. R. S. MDCCLXXVI.



7/1415 OK

VD18

ULB Halle - 3  
 001 878 107  




Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



VS CRITICA  
IN  
NES PALEAS  
LEMENTARIS  
EDOVIANI

ROLVSIO  
MATIONIBVS V.

IN  
HOLA ELECTORALI  
RIMANA

PTEMBR. HORA IX HABENDIS  
PRAEMISSA

A  
TOBIA KREBSIO  
ECTORE

LIPSIAE  
INA LANGENHEMIA

BIBLIOTHECA  
ONICKAVIANA

B. J. 7a  
1415

